



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanae

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXXVI. De Congregatione pro Viis, Pontibus, & Aquis curandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

Etualia venduntur. Jurisdictionem habet in Laniones, Macellarios, piscium venalitos, Saffamentarios, aliosque victualium Mercatores.

6. Si pro diversitate temporum diversum quoque pretium carniū aliorumque victualium constituendum sit, atque etiam sub Annonæ caritatem faciendæ sint provisiones, accedit Camerarium, apud quem instituta consultatione statuitur quid fieri debeat. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc. II.*

CAPUT XXXVI.

De Congregatione pro Viis, Pontibus, & Aquis curandis.

1. *Cur. hæc Congregatio instituta sit à Sixto V.*
2. & 3. *Facultates & Officium illius.*
4. *Controversiæ ubi & quomodo decidantur.*
5. *Prefectus quis sit, & ubi habeatur Congregatio.*
6. *Aliam Congregationem instituit Paulus V.*
7. *Qui isti intersint, & Secretarii Officium.*
8. *Quando habeatur Congregatio, & à quo mandata illius expediantur.*

1. Sixtus

I.

Sixtus V. plurimum conferre putavit ad aeris salubritatem, civium incolarumque utilitatem, & ad Peregrinorum, iterque agentium commoditatem, Viarum, Pontium & Aquarum curationem; Ideo instituit Congregationem sex Cardinalium, quæ solertem hujus rei curam haberet. *Const. 74. Immensa.*

2. Quare facultatem eidem concessit non tantum in Urbe, sed etiam in universa Ecclesiastica ditioe temporali, vias curandi, aperiendi, muniendi, dirigendi, factasque tuendi, coarctatas dilatandi, veteres jam occupatas iterum in publicum usum vendicandi & redigendi.

3. Pontes item tuendi, & ubi opus est novos exstueni, veteresque ruinosos instaurandi, & jam collapsos reficiendi. Aquarum præterea curam gerendi, illasque ad publicum usum commoditatemque distribuendi, deductiones, substructiones, aquæductus, receptaculaque earundem facta tecta conservandi, omneque impedimentum tollendi. *Sixtus V. cit. Const. 74.*

4. Si

4. Si vero difficultas aliqua, aut causa contra quoscunque etiam immunes atque exemptos exorta fuerit, eas omnes summarie, sola facti veritate inspecta, re tamen prius ad Papam delata, definiendi potestatem idem Pontifex fecit. *cit. Const. 74.* Quod si forenses controversiæ inter privatos super prædictis oriantur, eæ coram Judicibus & in Tribunalibus ordinariis tractentur.

5. Præfectus hujus Congregationis est Cardinalis Camerarius, & habetur in Palatio Apostolico quandocunque necessitas exigit, dies nulla est determinata.

6. Aliam quoque Congregationem erexit Paulus V. *Const. 75.* In Sede super aquæ Paulæ, & illius Aquæductus cura & administratione. Cum enim aquam illam per aquæductum è Territoriis Brachiani, Vicarelli, Bassani & Trivini in Janiculum & Vaticanum derivari curasset, ut tantum opus summo labore, & largo sumptu absolutum conservaretur, commisit illius curam huic Congregationi.

7. Interesse huic Congregationi voluit Thesaurarium Generalem, Archi-Hospitalis S. Spiritus in Saria Præceptorem,

rem, Camerae Commissarium, unum ex Clericis Camerae à Pontifice deputandum, & duos cives Romanos cum Secretario, cui Castella & Receptacula, illorumque claves custodiendi, & ne à quoquam plus aquae latiore fistula sumatur, quam concessum fuerit, animadvertendi cura & onus incumbit.

8. Semel singulis Mensibus, & quoties opus fuerit Deputati congregabuntur, & literae Patentes ac Mandata sub Thesaurarii Sigillo, & nomine expediuntur
Paulus V. cit. Const. 75.

C A P U T X X X V I I .

De Congregatione pro Typographia Vaticana.

1. *Ad quid instituta haec Congregatio.*
2. *Uti poterit & debet adjumento Doctissimorum ex omni Natione.*
3. *Curabit ut libri sacri correctè imprimantur, sed Congregatio haec esse desit.*

I.

Postquam Sixtus V. erexisset in Urbe Typographiam Vaticanam, instituit quoque